



# **Disputatio juridica inauguralis de acquirenda vel amittenda possessione**

<https://hdl.handle.net/1874/343256>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE

ADQUIRENDA vel AMITTENDA

POSSESSIONE,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inçlytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ, Anatomes, & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis ritè ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

WILHELMUS BRUYNS, Neomagensis-Gelrus.

*Ad diem 6. Januarii horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō Ic Lxxxvi.

*Clarissimo, Consultissimo, Doctissimoque,*

**D. THEODORO FOYERT, J.U.D.**

coram suprema Ducatus Gelriae & Comitatus  
Zutphaniae Curia Advocato vigilantissimo,  
Judici in Westervoort &c. cognato ac tutori  
suo fidelissimo ideoque semper colendo.

U T E T

*Celeberrimis, Amplissimis consultissimisque VIRIS*

**D. GERARDO NOODT, J.U.D.**

eiusdemque facultatis in illustri hac Academia  
Antecessori ordinario acutissimo, fundatori stu-  
diorum meorum unico, eoque nomine, debi-  
to cultu ac animi observantia nunquam non  
venerando.

**D. LUCÆ van de POLL, J.U.D.**

in Patriæ Trajectinae suæ universitate Professore  
celeberrimo præceptori suo omni honore pro-  
sequendo.

*Hanc Disputationem Inauguralem eo quo  
par est animo*

Dicat & offert

**WILHELMUS BRUYNS, Auctor,**

*Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, ch. lxxvii.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
Acquirenda vel Amittenda  
**POSSESSIONE.**

THESIS I.



possessio dicitur vocata a sedibus quasi  
 sedis positio, quod in re possessa sedem  
 ponamus *l. 1. ff. h. t.* ubi aliqui minus  
 rectè legunt *a pedibus quasi pedum positio*,  
 nam possessio in etymo vocabuli nihil  
 commune habet cum pedibus; sed hæc  
 magis est allusio nominis quam vera rei  
 significatio, possessionis enim verbum  
 interdum usurpatur pro usucapione quia  
 ex ea usucapio procedit *l. 19. & 23. §. 1. ff. ex quib. caus. major.*  
 interdum proprietatem significat *l. 78. ff. de verb. signif.* ergo ut  
 dixi Paulus in *l. 1. ff. h. t.* non definit possessionem, sed nuda  
 descriptione contentus dixit esse *νόθεον*, id est, detentionem,  
 A 2 & quo-

& quoniam definitio omnes species complecti debet, easque multas habet possessio, ideo eam hoc modo definio.

## I I.

Possessio est rei corporalis detentio, cui inest affectus vel proprio vel alieno nomine rem tenendi dicitur *rei corporalis* quia res incorporales natura sua possessionem non recipiunt *l. 3. ff. h. t. l. 43. §. 1. ff. de acq. rer. dom. l. 32. §. 1. ff. de serv. præd. urb. & l. 4. §. 27. ff. de usucap. & usurp.* dicitur *detentio* quia sine detentione non est possessio, nec tantum requiritur detentio sed talis quæ conjuncta est cum affectione & voluntate tenendi; aliud enim est nuda detentio, aliud possessio, nam detinere latius patet quam possidere, quippe omnis qui possidet detinet, non tamen omnis qui detinet possidet, sed tantum est in possessione, talis est depositarius, tales quoque sunt illi qui ex primo edicto in possessionem missi sunt, talis quoque est colonus *l. 10. §. 1. l. 18. & l. 25. §. 1. ff. h. t. sed de sequestro.* Quæritur an ille possideat? & puto non aliter sequestrum possidere, quam si ea mente fiat sequestratio, ut possessio de qua existit controversia, dimittatur, alias custodia rei commissa videtur, non possessio *l. 39. ff. h. t.* quod si incertum fuerit, qua mente res sequestro deposita sit, possessio minime in eum translata videbitur, nec obstat *l. 17. §. 1. ff. depositi.* quia hoc modo accipienda est in verbis, *sed & possessio nisi apud sequestrum deposita est, nam tum demum sequester possidet,* deposita scilicet possessione, id est, dimissa penes eum hoc animo, ut possideat *d. l. 39.*

## I I I.

Sequitur ut videamus quomodo possessio dividatur. Dividitur vero in naturalem vel civilem quæ divisio petita est *ex l. 1. §. ff.*

§. ff. de vi & vi arm. l. 24. ff. b. t. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 3. §. ult. ff. ad exhib. Naturalis possessio est detentio rei cum animo sibi habendi, sed sine opinione Domini; hanc habet creditor circa pignus quod naturaliter possidere dicitur quia non possidet animo domini l. 40. §. fin. ff. de pign. act. item precario possidens cum & illi animus Domini non adsit l. 4. §. 1. ff. de precario. Civilis est detentio rei cum animo sibi habendi sed cum opinione domini.

## I V.

Acquiritur autem possessio corpore & animo simul, itaque nec animus solus ad eam acquirendam sufficit nec solo corpore acquiri sine affectione tenendi potest, sed utrumque hic concurrat necesse est & animus acquirendi & simul actus aliquis corporalis l. 3. §. 1. l. 8. ff. b. t. vide de hac questione Bronkh. cent. 3. asfer. 93. Wesemb. b. n. 6. & Perez. ad b. t. Cod. n. 4. Quoniam autem possessio non acquiritur sine affectu possidendi, ideo eam furiosus & pupillus sibi non quærunt, licet maxime suo corpore rem contingant & apprehendant; obtinuit tamen ut pupillus infante major possit acquirere possessionem, quia possessio non tantum corporis sed etiam animi est, pupillus quoque non tantum per tutorem sed & ex auctoritate tutoris possessionem acquirere potest l. 1. §. 3. & l. 32. §. 2. ff. b. t. Difficultatem tamen insignem ut multis videtur movet l. 3. Cod. de acq. & ret. poss. quia ibi dicitur rerum donatarum possessionem infanti corpore acquiri, sed non est magni momenti, nam Imp. tantum de donatis rebus ibi sancit, in quibus tradendis tanta non requiritur observatio, quam si ex alio quovis contractu, puta emptione, permutatione aut simili transferenda esset possessio; rem enim accipiens infans ex donatione, ex sola acceptatione sibi Possessionem rei donatæ acquirat, itaque licet non tam plenus sit in infante animi affectus, qui ad acquirendam possessionem requiritur, corpore tamen rei insistit. Acquirimus quoque possessionem

sionem non solum per nosmet ipsos sed etiam per eos quos in potestate nostra habemus : item per servos , in quibus usumfructum habemus , item per homines liberos , & per servos alienos quos bona fide possidemus *l. 1. §. 5. & l. 49. ff. h. t.* denique illud notandum quod per eos ita demum acquirimus possessionem , si habeant intellectum sive animum possidendi *d. l. 1. §. 8.* ideoque per servum furiosum possessionem non acquirimus *d. l. 1. §. 10.*

## V.

Quæritur an ignoranter per servum aut Filiumfamilias acquiramus possessionem? Affir. quia ipse servus, qui in alterius potestate est, nihil suum habere potest, fit ergo hæc acquisitio ipso jure, ratione scilicet potestatis, quæ facit ut ne momento quidem aliquo res subsistere possit in persona ejus, qui in potestate est & per quem acquiritur; sed protinus acquiratur ei, qui in potestate habet Domino scilicet vel patri *l. 79. ff. de acq. hered.* non movet juris regula, quod invito non detur beneficium *l. 69. ff. de R. F. & l. 19. §. 2. ff. de donat.* cum & alia sit regula quod non cogatur Dominus rem sibi quæsitam retinere, sed eam repudiare possit *l. pen. Cod. de pact.* & non tantum ignoranter per servum aut filiumfam. acquirimus possessionem ex causa peculiari verum etiam ex omni causa, uti indistincte inquit Ulpianus in *l. 34. §. fin. h. t. servus meus ignoranti mihi adquirit possessionem* & Paulus in *l. 31. §. 3. ff. de usuc. & usurp.* tradit si servus meus vel filius rem teneat peculiari vel etiam meo nomine, me ignorantem per eum possidere, hac ratione, quia nos filio vel servo nostro peculium habere permisimus & ideo quicquid peculiariter filius vel servus tenent, licet id nos ignoremus, nostra voluntate possidere intelliguntur, atque ita possessio rerum, quas filii, vel servi peculiariter tenent ignorantibus, nobis acquiritur *l. 1. §. 5. ff. h. t.* eadem quoque ratio redditur in *l. 44. §. 1. ff. eod.* ibi Jctus docet utilitatis causa jure singulari receptum esse, ut ex peculi causa

causa per servum ignorantibus possessio quærat, quia magni esset operis & laboris si Domini singulis momentis cogentur inquirere & exponere causas & species peculiorum, quæ & quot res sint in peculio & quo jure quoque titulo singulæ res teneantur à servis; Cæterum hæc ratio tantum ad ea pertinet quæ filius vel servus peculiariter sive suo nomine tenet, ad ea autem quæ non tenet peculiariter, sed nostro nomine, non pertinet, & tamen horum possessio per filium vel servum nobis ignorantibus acquiritur *d. l. 34. §. fin. ff. h. t. & d. l. 31. §. 3. ff. de usucap.* quia per liberos & servos, quos in potestate habemus, nos possidemus, non solum corpore eorum, sed etiam animo eorumdem. *l. 3. §. 11. ff. h. t.*

V I

Quemadmodum autem per servos & liberos qui in potestate nostra sunt, possidemus ut supra dictum, sic etiam per eos usucapimus, sed hoc indistincte non procedit, quia per servum vel filium ex omni causa ignorantes non usucapimus; sed eas res quas servus vel filius peculiari nomine adipiscitur, etiam ignorantes usucapimus, quas vero adipiscitur non peculiari nomine, non usucapimus nisi scientes *l. 2. §. 11. ff. pro emptore & l. 44. §. ult. ff. de usucap.* differentie ratio hæc est, quod servus peculiari sive suo nomine, tenet id possidet civiliter, id est, animo & cogitatione Domini, non quidem sibi, quia nihil proprium habere potest, sed nobis, qui ei peculium habere permisimus *l. 1. §. 5. ff. h. t.* quod si non peculiari nomine, sed nomine nostro servus tenet, id non possidet civiliter, id est, animo & cogitatione Domini, & ob id quod servus ita possidet, nos per servum non usucapimus nisi scientes. Cujac. *lib. 24. Observ. cap. 9.*

V II. Nunc



## V I I.

Nunc videamus quænam res possideri possint, quia autem possessio significat detentionem, corporales proprie possidentur *l. 3. ff. h. t. & l. 4. §. 27. ff. de usucap.* quia tamen incorporalia quasi detentionem habent, ideo quasi possideri dicuntur *l. ult. ff. de servit.* oportet autem res sint in commercio, nam quæ extra commercium sunt possideri nequeunt uti res sacræ & religiosæ *§. 1. Inst. de usucap.* item liber homo, quamvis justus error faciat ut liber homo pro servo bona fide possideatur, & per eum nobis acquiratur *l. 1. §. 6. & l. 4. ff. h. t.* non tantum rem totam sed & partem possidere possumus, veluti si una pars fundi occupata sit ab exercitu, altera pars vacua sit relicta, & eam attingam, non ideo totum fundum occupavero *l. 18. §. fin. ff. h. t.* non enim qualiscunque detentio sufficit ad rem possidendam, sed vacua rei acquisitio optima est *l. 12. Cod. de probat. & l. 8. Cod. de act. empt. & vend.*

## V I I I.

Cum igitur vacua rei possessio non occupetur, nisi alter possidere desierit, hinc sequitur, quod plures eandem rem in solidum possidere non possint, quia si unus semel rem apprehenderit, non potest alius absolute & solide eandem rem occupare *l. 3. §. 5. ff. h. t. Opp. l. 3. ff. uti possidetis.* Quæ dicit duos in solidum unius rei possessores existere posse, ut unus justè, alter injustè possideat; sed tamen quod ad summam, id est, perfectionem possessionis attinet, duo non possunt absolute & perfecte possidere, nam ille demum possidet qui vacuum rei possessionem apprehendit, itaque qui vi, clam aut precario possident, item fructuarius, creditor qui rem pignori accepit, naturaliter quidem possident, sed tamen perfecte non possident, quia vacuam

quam rei possessionem non apprehenderunt : porro adversatur l. 15. §. 4. ff. de precario. Ubi & is qui precario dedit, & is qui precario accepit, possident. Sed Resp. quod is qui precario dedit, vere solus possidet, quia ad tempus tantum dedit, & eo animo ut rem accipientis non faciat, sed ut in eum possessionem transferat pro tempore, quæ tamen impropria est possessio; is autem qui precario accepit, detinere potius, quam possidere dicendus est, quia solus usus possessionis penes eum est, jus autem penes eum qui dedit; Cujacius lib. 9. cap. 32. 833.

IX.

Corpore itaque & animo opus ad acquirendam possessionem; in ea autem retinenda solus animus sufficit. l. 4. Cod. de acq. & ret. poss. cum necesse non sit semper rei mex insistere, liceatque certo tempore eam relinquere l. 3. §. 11. ff. b. t. unde licet corpore quis è fundo exierit, quamdiu animus amittendæ possessionis abest, possessio rebus integris retinetur l. 3. §. 7. & l. 6. §. 1. ff. b. t. nec tantum per nos, sed & per alios possessionem retinemus & continuamus d. l. 3. §. 8. neque illi sibi possident, sed nobis, suntque tantum in possessione fundi nostrâ voluntate l. 9. & l. 25. §. 1. ff. b. t. sed quid si servus aut colonus deserendæ possessionis causa exeat de fundo, an hoc casu Dominus amittet possessionem? R. Cum Proculo, Dominum nihilominus animo retinere possessionem l. 31. ff. de dolo contrarium autem statuit Pomponius qui fuit Sabinianus in l. 31. ff. b. t. quam sequutus est Africanus in l. 40. §. 1. ff. eod. Sed Justinianus, Sabiniorum sententia rejecta, pronuntiat pro Proculianis in l. ult. Cod. de acq. & ret. poss. quod scil. negligentia & desertione coloni Dominus quæsitam possessionem non amittat. Hodie ergo colono discedente ex fundo deserendæ possessionis causa, dominus animo retinet possessionem Borckb. ad §. 5. Inst. de interd. Licet autem ex sententia. Proculi possessio non amittatur negligentia coloni, tenetur tamen colonus qui decessit de possessione domino

mino actione de dolo malo, si quid ex eo damni fenderit ut si fructus idoneo tempore non sint collecti. *Cujacius ad l. cum quis ff. de dolo malo.*

## X.

Nunc videamus de acquisitæ possessionis effectibus, qui varii sunt, I. quod possessor onere probandi liberetur, cum adversario in probatione cessante, dominium apud possessorem remaneat *l. 2. Cod. de probat. & §. 4. Inst. de Interd.* II. Quod bonæ fidei possessor fructus lucratur, & est quasi Dominus *l. 22. Cod. de rei vind. & l. 48. ff. de acq. rer. dom.* & tamdiu pro Domino habetur, quoad contrarium non demonstratur *l. ult. Cod. de rei vind.* III. Quod possidendo rerum etiam dominium tempore nanciscamur ut recte J. C. ex possessionibus capisse dominia in *l. 1. §. 1. ff. h. 2.* testatur; IV. Licet quoque possessori resistere iis qui ipsum de possessione turbare conantur & vim vi repellere contra eos, qui cum armis veneunt, ex naturali ratione *l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm.* in continenti tamen, id est, in ipsa certatione & congressu *l. 17. ff. eod.* nam ex intervallo id non liceret, quia non tam videtur defensio, jure naturali permessa, quam offensio & ultio privatis prohibita *l. 3. §. 9. ff. eod.*

## XI.

Vidimus de acquirenda possessione, de amittenda pauca dicamus. Quemadmodum nulla possessio acquiritur nisi animo & corpore ita etiam nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est ut ait Paulus in *l. 8. ff. h. r. & l. 153. ff. de R. J.* quia nihil tam naturale est quam singula dissolvi eo genere, quo colligata sunt *l. 35. ff. de R. J.* proinde solo corpore recedens a fundo, non ideo possessionem amittit, quia animus repugnat, qui eam non amittere sed retinere cupit, sed si ac-

fi accedat voluntas deferendæ possessionis, jam certò eam amittit quia corpore & animo a fundi possessione decessit, in quibusdam tamen solo animo amittitur possessio, ut si ab initio quis apud animum suum constituat se nolle amplius possidere, protinus ejus possessionem amittit etsi corpore adhuc rem occupet *l. 3. §. 6. ff. h. t. l. 17. §. 1. & l. 44. §. ult. ff. eod.* quia possidere est animo sibi habendi rem tenere, quo animo deposito rectè rei possessio amittitur, nam animus est qui possidet & non corpus.

## XII.

Amittitur possessio variis modis: ut si res mobilis per furtum fraudemque subtrahatur *l. 3. §. 13. ff. h. t.* vel si cui possessio rei immobilis per vim auferatur *d. l. 3. §. 8.* item si res per flumen aut mare occupetur, cum sic non pateat nobis regressus ad locum *d. l. 3. §. 17.* plane si locus quem possidemus extra commercium esse cæperit, ut quia factus sacer, religiosus, eum definimus possidere *l. 30. §. 1. ff. h. t.* item cum Prætor alium in possessionem ire jussit, quod damni infecti nomine Dominus non caveret, eum amittere possessionem Labeo ait in *d. l. 30. §. 2.* Amittitur quoque possessio nostro facto, scil. alii eam tradendo aut deferendo, cum voluntas cujusque rata habenda sit.



TRAJECTUM RHENOM.

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, c. b. 1. xxxvi.

